

ratione peculiaris inordinationis, quæ reperitur in copula, ad aliquam ex prædictis speciebus reducitur; v. g. si est inhabilitas ratione publicæ honestatis, ad incestum, ob speciem quamdam affinitatis: si ratione cognationis spiritalis, ad incestum, vel ad sacrilegium: si ratione cognationis legalis, quæ ex adoptione, ad incestum: si ratione impotentiae, ad peccatum contra naturam. Ubi autem inhabilitas illa non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam, v. g. ob crimen, ignorantiam, metum; est simplex fornicatio: ut cum est impedimentum criminis, vel metus, vel erroris personæ, aut conditionis servilis, vel raptus. Circa prædicta,

151. Notandum ex Cajet. art. 1. *adulterium, incestum, raptum, stuprum, et sacrilegium* non esse proprie et metaphysice species luxuriæ, sed solum morali et vulgata ratione loquendi, qua minus communia species dicuntur, etiamsi solum per accidens communem aliquam rationem contrahant. Nam deformitas, quam addit circumstantia illa personæ vel loci luxuriam contrahens, non est contra castitatem, sed contra aliam virtutem: in *adulterio, raptu, et stupro*, contra justitiam: in *sacrilegio*, contra religionem: in *incestu*, contra pietatem, quæ parentibus et sanguine junctis debitam reverentiam defert. Fieri autem nequit ut circumstantia vel deformitas, quæ est contra aliud genus virtutis, ita contrahat malitiam luxuriæ, ut simul cum ea proprie dictam speciem constituat; una enim species non potest esse in diversis generibus; nec unum genus potest contrahi per differentiam alterius generis: itaque circumstantia propriam luxuriæ speciem constituens debet addere deformitatem, quæ solum sit contra castitatem, qualis est circumstantia vasis indebiti, et personarum debito vinculo non connexarum. Hinc infert Cajetan. hujusmodi actus proprie esse sub duplici genere: adulterium enim ratione injuriæ, quæ fit conjugii, esse speciem injustitiæ: ratione carentiæ vinculi conjugalis inter personas, esse speciem luxuriæ. Idem dicendum in cæteris. Dicuntur tamen species luxuriæ potius quam injustitiæ vel sacrilegii, ob duas causas. Prior est, quam assertit D. THOMAS, quia luxuria magis est formalis, cum se habeat in illis peccatis per modum finis: injustitia vero et sacrilegium magis se habet materialiter et per accidens; adulterium enim committitur non ut fiat injuria, sed propter voluptatem carnalem: similiter sacrilegium, et aliæ species. Quod si quis adulterium committeret eo fine ut contumeliam inferat marito; vel sacrilegum concubitus, ut injuriam Deo vel rebus sacris, etc.; tunc potius dicerentur species injustitiæ, vel irreligiositatis, quam luxuriæ: quia finis non esset luxuria, sed injuria et violatio rei sacræ; luxuriæ autem peccatum se haberet instar medii. Altera causa est, quia illa peccata committuntur in materia luxuriæ, et per actum ejus, et ita potius dicuntur species luxuriæ, quam injustitiæ, etc.; luxuria enim magis ibi elucet. In raptu tamen res paulo aliter se habet; nam injuria præcedit, et luxuria sequitur.

Ex dictis sequitur, malitiam luxuriæ in prædictis speciebus naturalibus, quæ aliis virtutibus opponuntur, si præcise consideretur qua castitati repugnat, esse ejusdem rationis, et pertinere ad fornicationem, quamvis ex parte affectus humani diversam gravitatem sortiatur, ut ex D. THOMA art. 1. colligitur; nam quo quis plura vel graviora peccata in se admittere paratus est

affectu venereæ voluptatis, eo affectus ille est pejor; nam in illo tanquam in causa continentur; unde infert, illas circumstantias, etsi sint contra alias virtutes, non tamen omnino per accidens se ad luxuriam habere; vide Cajetanum.

## DUBITATIO V.

## UTRUM FORNICATIO SIT PECCATUM MORTIFERUM.

152. Quidam hæretici docuerunt fornicationem non esse peccatum. Ita Nicolaitæ, et mulier illa, quæ se Propheten dicebat temporibus Apostolorum; de quibus Apocalyp. 2.; et Gnostici, qui etiam alias impuritates admittebant; unde dicti Borboritæ; de quibus EPIPHANIUS hæresi 26. et Græci schismatici, teste Guidone in Catalogo. Denique nostri temporis Anabaptistæ, qui non solum fornicationem, sed etiam promiscuum concubitus, spiritu instigante, permittunt et patrant.

Sed fide tenendum est, esse peccatum mortiferum. Probatur 1º. ex Scripturis: 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, etc., regnum Dei possidebunt.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc., quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ad Ephes. 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servilus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei; nemo vos seducat inanibus verbis, etc.*

Idem docent omnes Patres, et Doctores scholastici.

Nec obstat, quod aliqui jurisperiti concubinatum dicant esse *coitum legitimum*: ita Bartolus in L. penult.  $\pi$ . de Concubinis, et quidam alii; quia solum volunt dicere, legibus permitti, et non puniri: ut enim in d. L. penult. dicitur, *quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis penam est*; unde melius dicerent esse lege permissum, quam legitimum; ut notat Cou. de sponsalibus, p. 1. c. 4. n. 8.

153. Ut autem *ratione* probetur, Notandum est, sicut Deus instituit id quod erat necessarium ad prolem concipiendam et pariendam, nimirum virtutem generandi et organa opportuna, ita etiam instituit id, quod erat necessarium ad prolem recte educandam, et promovendam ad perfectum statum hominis; nam finis generationis humanæ est proles perfecta: hoc autem est vinculum insolubile maris et femine, posito mutuo consensu, quod matrimonium vocamus: sine enim tali vinculo, humano more fieri non poterat ut proles recte educaretur, cum ad hoc non solum materna, sed etiam paterna cura sit necessaria; unde etiam in aliis animantibus, ubi utriusque parentis cura ad sobolis educationem requiritur (ut in feris quibusdam, et in avium genere) videmus quamdam matrimonii speciem in maris et femine societate, nec eas uti vago concubitu. Et sane nisi hunc instinctum et inclinationem accepissent, non fuisset illis in necessariis ad speciem propagandam et conservandam satis prospectum: nam fere semper soboles moreretur; cum mater illi educandæ et fovendæ sola non sufficiat. Simili modo nisi in genere

humano esset illud vinculum, proles raro bene posset educari, et ad statum hominis perfectum adduci; nam cura paterna plerumque abesset, ut experientia docet.

His positis, sic possumus ratiocinari: In fornicatione prætermittitur illa conditio, quam naturæ lex in generatione humana ad ejus finem, qui est bona proles institutio, obtinendum requirit; ac proinde ipsa repugnat illi fini: atqui hæc inordinatio est gravis et in re gravi; ergo est peccatum mortiferum.

Nec refert quod incommodo proles educandæ alia ratione possit occurri; ut si cum certa pensione constituatur vir probus, qui curam proles suscipiat: tum quia in paucioribus id locum habet, nimirum in divitibus; et ita his solis non autem pauperibus licita, vel non mortifera erit fornicatio, et quo quis erit ditior, eo cum pluribus fornicari poterit; quæ sunt absurda: tum quia id non tollit inordinationem quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum quam ipsa natura instituit, et requirit in illo actu ad proles suscipiendæ perfectionem. Confirmatur, quia sicuti esset gravis inordinatio in natura rerum, si animantes, quæ habent instinctum ut certis utantur conjugis, inciperent vago modo conjungi; ita etiam censenda est gravis inordinatio, si homines vago concubitu utantur: sicut enim natura humana est sublimior quam brutorum, et ejus conveniens propagatio, institutio et perfectio est maximi momenti; ita etiam vinculum conjugii est sublimius, et magis necessarium ad actum generationis; ac proinde major erit perversio recti ordinis, si ille actus sine eo fiat.

Hinc sequitur, fornicationem jure naturæ non solum esse malam, sed etiam esse grave malum, et consequenter peccatum mortiferum: quia caret convenienti ordine et habitudine, quam natura requirit ad proles educationem et perfectionem; quæ habitudo est magni momenti, sicut et proles bona instructio.

Durandus in 4. dist. 33. q. 2. n. 10. fatetur, fornicationem jure naturæ esse quidem malam et inordinatam; non tamen esse malum, quod sit peccatum mortiferum, sed hoc habere a lege positiva Dei. Ratio ipsius est: *Nam fornicatio simplex non meretur mortem æternam secundum legem naturalem; quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna: et ideo quod fornicatio simplex sit peccatum mortale, hoc procedit ex jure divino pluribus locis expresso.* Ejusdem sententiæ est Martinus a Magistris apud Cajetan. art. 2. licet non ob rationem Durandi; sed quia, quando educationi proles aliunde prospicitur, non videtur gravis inordinatio. Confirmatur, quia neque est contra dilectionem Dei, neque proximi, neque sui ipsius.

Sed satis ostensum est hanc inordinationem esse gravem, cum sit ommissio debiti ordinis, quæ jure et instituto naturæ est necessaria in illo actu ad proles complementum. Et sane si levis esset jure naturæ, jus divinum superveniens non efficeret gravem, sed relinqueret eam in suo gradu; nam Deus prohibens aliquid jure naturæ illicitum, non facit illud pejus, sed ejus malitiam inculcat, et expressius proponit: non enim ideo malum est quia prohibetur; sed quia malum, ideo prohibetur; ut patet in mendacio, verbo otioso, et similibus, quæ ex genere suo levia sunt.

Ratio autem Durandi nullius est momenti: ex ea enim sequeretur, nec homicidium; nec adulterium; nec sodomiam fore peccata mortifera, nisi

jure divino positivo essent prohibita. Imo seposito jure positivo nullum esse peccatum mortale: quod omnino absurdum est.

Nec est necesse, ut ratione naturali non constet tale peccatum mereri mortem æternam; sufficit ut illa dicat esse grave peccatum, et Deo graviter displicere; inde enim ratione naturali est conjicere, graves pœnas, et quæ offensioni tantæ majestatis respondeant, mereri.

Ad confirmationem: Reducitur ad ea peccata, quæ sunt contra charitatem proximi, cum sit contra bonum proles nascituræ, ut inquit D. THOM. art. 4.

Nec refert, quod illi, qui conveniunt, forte sint steriles, idque sciunt: quia actus ex se talis est, ut careat ordine debito, quem natura propter bonum proles requirit, sive reipsa sit secutura proles sive non.

Dices 1°. Melius est proli sic esse, quam non esse: atqui in potestate parentum erat ut non esset, abstinendo ab illo actu; ergo non videntur ei nocuisse. Deinde possunt impedire, ne id nocuum reipsa sequatur; sicut non magnam infert injuriam, qui accendit domum, sed statim cavet ne comburatur, incendio extincto.

R. Etsi melius sit proli sic esse quam non esse; tamen si parentes velint dare operam generationi, debent id ita facere, ut opus habeat convenientem ordinem non solum ad prolem suscipiendam, sed etiam ad educandam et instruendam: unde si careat illo ordine, privant quantum est ex vi actus prolem hoc bono; nam hoc ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

Nec obstat quod illud nocuum possit aliquando impediri, quia id per accidens est; nec impedit quin illi quantum est ex vi operis censeantur proli nocuisse, prætermittendo in eo illam conditionem, quam propter bonum proles tenebantur adhibere: quando enim aliquid ob certum finem est absolute præceptum, qui illud omittit, facit contra illum finem, etiamsi alia ratione illum procurare nitatur. Alia argumenta objicit Martinus, quæ vide apud Cajetan. art. 3.

Dices 2°. Dominus Osee 1. præcipit Prophetæ his verbis: *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum;* ergo non est semper illicita.

R. 1°. Inde ut summum sequi, divina dispensatione posse fieri licitam; ut inquit D. THOMAS art. 2. ad 2. 2°. Et melius, ibi solum præcipi ut sumat meretricem, seu mulierem, quæ valde dedita fuerat fornicationi, in uxorem, (id enim Hebraismo illo significatur) et ex ea procreet filios, qui suis nominibus et ordine nascendi representantur sint filios Israel, (qui erant vere filii fornicationum, per assiduam et multiplicem idololatriam fornicantes a Deo) et ultionem divini illis impendentem: unde hic non agitur de actu carnali fornicationis permittendo.

154. Porro præter ea, quæ diximus, quatuor hic sunt notanda: *Primo*, Fornicationem in Christianis habere peculiarem deformitatem, ratione Baptismi et Confirmationis, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, et in templum Spiritui sancto consecrata. Unde Apostolus 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit, etc.*, et infra: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; ubi tribus argumenti*

deterret a fornicatione. Ex quibus colligitur, in hoc actu, dum a Christianis fit, esse peculiarem ingratitude, et irreverentiam in Deum; et consequenter speciem quamdam sacrilegii, latius accepto hoc nomine: unde est multo gravius peccatum in illis quam in ethnicis.

*Secundo*, Fornicationem non esse gravius peccatum, quam cætera, quæ sunt contra Deum vel proximum, ut recte ostendit D. THOMAS art. 3. Gravitatis enim peccati per se spectatur ex magnitudine boni, cui ipsum opponitur: majus autem est bonum divinum quam humanum; unde peccata, quibus bonum divinum contemnitur, ut ea quæ repugnant directe virtutibus theologis vel religioni, sunt deteriora secundum suam speciem, quam fornicatio, quæ bono humano repugnat. Rursus inter ea, quæ bonum humanum violant, pejora sunt quæ tendunt in nocuum vitæ hominis, quam quæ in damnum fortunarum; et quæ contra vitam hominis nati, quam quæ contra vitam nascituri; unde infert D. THOMAS: Cum fornicatio ex se tendat ad læsionem vitæ, et quidem certæ prolis, nimirum quæ ex hoc actu nasci potest, est deterior furto, quo solum fortunæ læduntur: minor tamen est homicidio; quia per hoc læditur vita hominis jam nati, per illam nascituri. Hæc tamen comparatio furti et fornicationis non parum habet difficultatis. Primo, quia furtum est contra justitiam, fornicatio solum contra castitatem: atqui peccatum est eo gravius, quo præstantiori virtuti opponitur, ut constat ex 1. 2. q. 72. art. 4. *Secundo*, per furtum læditur homo jam existens in re actu possessa: per fornicationem nemo proprie læditur; nam proles non est, et nihil ei detrahitur, imo melius est ei sic esse quam non esse... Solum in eo peccatur, quod actus ille careat convenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cujus ordinis carentia est contra castitatem, non contra justitiam: quod signum est non esse proprie læsionem. Ob hæc et alia argumenta Martinus apud Cajetanum tenet contrarium: cujus sententia est etiam valde probabilis.

Nec obstat quod fornicatio in Christianis præ se ferat speciem sacrilegii; quia simile quid etiam in reliquis illorum peccatis invenitur, etiamsi spiritalia sint: sicut enim membra nostra sunt membra Christi, et templum Spiritus sancti; ita etiam spiritus noster est unum cum Christo; (*Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est*, 1. ad Corinth. 6.) et est templum Spiritus sancti.

*Tertio*, Etsi fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione posse dici maximum; quia hominem maxime detinet, et difficillime superatur; idque propter concupiscentiam homini congenitam, cujus motus sunt maxime importuni. Unde D. ISIDORUS L. 2. de summo bono (al. L. Sententiarum) cap. 39. n. 21. dicit: *Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum*. Et D. AUGUSTINUS, de honestate mulierum cap. 2. (al. in app. serm. 293. n. 2.) *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, et rara victoria; unde præcipua industria in eo collocanda, ut hoc vitium superetur*.

## CAPUT III.

DE PARTIBUS TEMPERANTIE POTENTIALIBUS, CONTINENTIA, MANSUETUDINE, CLEMENTIA, MODESTIA, ET VITIIS OPPOSITIS.

## DUBITATIO I.

QUID SIT CONTINENTIA.

D. Thom. quest. 155.

155. Nomen *continentia* dupliciter accipitur. 1º. Ut significet virtutem quamdam, qua quis sese ab omni delectatione venerea cohibet; quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, et apud sanctos Patres: nec differt a castitate. Et hac ratione tres continentie gradus a Doctoribus ponuntur, virginialis, vidualis, et conjugalis. 2º. Ut significet firmitatem animi contra impetus passionum. Hanc Aristoteles L. 7. Ethicorum vocat ἐγκράτειαν, et de ea, sicut et de ejus opposito, fere toto eo libro disputat. Hoc modo accipitur in hac questione: et nihil est aliud quam firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, et præsertim venereas, impellitur. Est *propositum*, quia omnis virtus et bona dispositio voluntatis consistit in proposito seu affectu honesti; in hoc enim sita est hujus potentie perfectio: atqui continentia est virtus vel dispositio voluntatis, et in ea sedem suam habet, ut docet D. THOMAS art. 3. Debet autem hoc propositum esse *firmum*; quia alioquin facile concupiscentiæ motibus expugnabitur; sicut in eo qui est incontinens, qui etiam bonum propositum habet, sed infirmum: unde facile suis cupiditatibus cedit.

Isto proposito *se continet voluntas in bono rationis*; quatenus vult inhærere ei quod ratio dicit, nec sinere se impetu concupiscentiæ abripi ad illicita, quorum alterum ex altero sequitur. Ex eo enim quod quis firme alicui rei inhæret, consequens est ut a contrariis non sinat se aliorum abduci. *Contra impetus concupiscentiæ*, etc. Quia hi motus maxime voluntatem ad bona sensibilia contra rationis præscriptum alliciunt; et propensioni naturali, quæ homini ad conservationem individui et speciei insita est, sunt maxime conformes. Itaque in iis, qui nondum virtutem moralem, qua isti motus comprimantur, adepti sunt, præcipue opus fuit quadam dispositione animi, qua voluntas se in bono contineret, ne ab illis ad illicita abriperetur; quam *continentiam* vocamus.

156. *Dices*: Etiam aliæ passiones magnam vim habent voluntatem a rationis præscripto abducendi, ut cupiditas honorum, opum, vindictæ, et similes;